

(9)

ORATIO
DE PROTE
CTIONE ECCLE
SIAE, HABITA IN
SOLENNI CON
SESSV SCOLAE
Gorlicensis.

A
PETRO VINCENTIO
Uratisl. Rectore.



GORLICII

Anno

M. D. LXVII.

Εἰσαία 51.

*Posam verba mea in ore tuo, & umbra
manus mee protegam te, ut plan-
tes caelos, &c.*

τίς δ' αὖτα κλύει φωνῆς θεῶν ὑψιμέδοντος
καὶ πατρὸς οὐρανοῦ ὡς βροτῶν ὅσους βλέπει
φαίνετο δ' ἔθελμα θεογλώσσω διαφωτῶν
ἀνδρῶν κηρύσσω τοῖς σωματέεσι θεός.
φεῦ δ' ἰδ' ἀχῆς ταυτῆς· τῆρ μὲν πολέες βασιλῆες,
πλείστοι δ' ἀνθρώπων πάντων συγέδοσι κακῶς.
γράφει θεορῆτων ταῖς χρῆσιμ' ἑσφατα βιβλῶν
αὐτὸς ἔχει τῆρ πάντων βασιλευς ὁ θεός.
φωνκέντα δ' ἀνθρώπων τί τὰ ῥήματα ποιῆς,
ποῖον δ' ἔκωτε φῆς ἐν γραφίδεσσι μένους
κλίματα ἀθρόων κήπων ἔγχλωρα φυτεύεις
ἢ γέαρ ἐχμῶν παγενεταῖο θεῶν.

Laur. Ludouicus.

SAPIENTIA,
ERVDITIONE ET

VIRTUTE PRAESTAN-
TIVIRO. D. VALENTINO

Rittero, iterū Cos. & supremo Aedi-
li Reipub. GORLICE N.

S I S, Domino &
amico.

S. P. D.



T nautæ in magnis
tempēstatib. vel por-
tum proximum pe-
tunt, vel ad ancho-
ram, quam vetustas
sacram appellauit, qd
eius beneficio sæpe
naues seruatae sint, confugiunt: ita vni-
uersa hominum natura vel prospiciens
futura atq; metuens pericula, vel sen-
tiens præsentia, naturali quodam sensu
& consideratione imbecillitatis suæ
circumspicit & quærit præsidia, quæ
cum humana nulla apparent, institui-

A 2 tur

PRÆFATIO.

tur tandem ad numen cœleste refugiũ,
sed ab alijs aliter. Maxima enim &
potissima generis humani pars tetrís
erroribus, quos milleformes omnibus
temporibus odio DEI sparsit Diabo-
lus, seducta & à vero DEO auulsa, in
tot fatuas superstitiones prolapsa est, vt
eas nec cogitatione metiri, nec com-
prehendere numero, nec sine pudore
sæpe recensere possimus. Ac vt de
Ethnica Idolomania multiplici vel ve-
terum vel præsentium temporum præ-
tereatur commemoratio, quæ infiniti
sermonis esset futura, in ipso corpore
eius populi, qui CHRISTI filij DEI
nomen agnoscit & profitetur, quantũ
fuit ab initio constitutæ Ecclesiæ, & est
adhuc hodie errorum, Idolatriæ, & su-
perstitionis: non solum in hominum
mortuorũ, quos finxerunt morborum
& periculorum depulsores, inuocatio-
ne, sed etiam in prophanatione Missæ
quam vocant, & in consecrati panis re-
positione, circumgestatione & adora-
tione. Horresco cogitans ac referens
hæc

P R A E F A T I O.

hæc deliria, vel potius hos verè *συκίνδε*
δεξὺς καὶ συκίνας ὑδὲ κείρας vt ille apud Ar-
 ristophanem nominat, hoc est, truncos
 ficulneos & inutilia ligna secundum
 Horatium, quorū tamen cultus vanissim-
 mos & plus quam Idolatricos nō solū
 confutis dolis & Sopiistica pinxerunt
 & ornarūt semper Baalitici Prophetæ,
 & eorum satellites, Sophistæ et alij, Sed
 etiā in trucidandis pijs & sanctis homin-
 ibus, qui sese consideratione mandati
 diuini de fugiendis Idolis à societate
 horribilis Idolatriæ seiungunt, Tyrann-
 nidem Neroniana penè sæuitia crude-
 liorē omnibus temporib. exercuerunt,
 sicut ostendunt & docent, nō solū cala-
 mitates Ecclesiæ in populo Iudaico, de-
 scriptæ monumentis propheticis, sed
 etiam tristia sub Tyrannis omnib. post
 natū Christum & acerbissima Ecclesiæ
 tempora. Semper, n. vera DEI Ecclesia
 non solū in angustias cogitur & premis-
 tur ab exteris hostib. Saracenis, Turcis,
 Moscis, Tartaris, & id genus alijs impijs
 gentib. sicut ipsa conqueritur & gemit

P R Æ F A T I O.

Pfal. 117. Heu mihi quod exulo in Mes-
sech & Cedar, &c. nominans scilicet
gentes truces & sine religione, pietate
ac disciplina viuentes, sed etiam in eo
ipso corpore, q̄ nominatur Christianus
populus, atq̄ adeo in ipsa Ecclesia, quæ
opinionū confusio, quæ varietas sectarum,
quæ barbaries, sæuitia & sæpè Ty-
rannis presserit sanctos, ad hæc vsque
tempora, nemo timens DEVM recte q̄
inuocās sine gemitu aut lachrymis cogitare
potest. Crescunt aut̄ cum senectate
mundi & propinquitate iudicij diuini
calamitates & ærumnæ piorum, quia
Diabolus sentiens integrā Ecclesiæ li-
berationem, & impiorū ac suas æternas
pœnas instare, odio DEI rabiosius furit
& grassatur cumulandis piorum & san-
ctorū hominum miserijs atq̄ malis, nec
quieturus est, donec, quantum in ipso
est, efficiat, vt nulla veræ Ecclesiæ ve-
stigia in terris appareant, deleta synce-
ritate veræ doctrinæ, prophanatis Sa-
cramentis, & Ministerio è terris vel
sublato, vel ad eam obscuritatem reda-
cto, vt

P R A E F A T I O.

esto, vt Dominus ipse hanc Diabolorū
rabiem longe ante prospiciens vix se fis-
dem in terris inuenturum prædixerit.

Hanc igitur extremā tempestatem
inter mare, quod aiunt, & cœlum flu-
ctuantis Ecclesię, et Diaboli imū Ache-
ronta mouentis ad illam obruendā, con-
natum summum atq; maximū oculis &
animo intuentes, nec ad commentitia
Ethnicorum numina nec ad Magos
confugiamus, vt in magnis animi con-
sternationibus Saulem, Iulianū & alios
legimus fecisse cum fremitu horribili
aduersus DEVM, nec aut à ligneis aut
mortuis simulacris opem petamus, sed
erigamus animos tantū fiducia diuinā-
rum promissionum, quas constat ad so-
lam veram DEI Ecclesiam omniū tem-
porum pertinere, nimirū vt hæc sciat,
neq; immani Diabolorū rabie, nec Ido-
latrarū crudelitate, nec deniq; Tyrann-
norum sæuitia adeo sese pessundatā aut
depressam iri, quin ipsa velut palma ar-
bor contra prementia onera insurgat
atq; eluctetur, et victrix euadat diuinæ

P R Æ F A T I O.

manus defensa protectione. Etsi igitur hoc tempore non solū Turcicę Tyrannidis cornua horribiliter feriant aures atq; animos nostros, sed alia quoq; tristia bella passim gliscentia vt alias semper, terrificant sanctos & tristia murmura miscent, vt ait Poëta, Sciamus tamen Ecclesię defensionē et conseruationem DEO curæ fore qui nequaquā permittet, vt vel Turcica barbaries constituat *πέμπτου μοναρχίας*, vel alij impij, pop. Christiani & Ecclesię, hostes viri sanguinum ac dolosi, vt Psal, 5, dicitur, successum sint habituri.

In eam sententiam cum à me in consessu scolastico proposita esset quædam commonefactio, & à me flagitaret vir honestus Typographus noster eā qualiscunq; esset, orationē, typis vt exprimeretur, nō repugnaui, sed consecrare editionē volui ornatissimo nomini tuo VALENTINE RITTERE Consul optime & sapientissime, vel vt de nouo Magistratu, quē DEI beneficio iteratū geris, pro amicitia humanissime constituta

P R A E F A T I O.

tuta tibi gratularer, vel etiã vt obser-
uantia & studij erga te tuosq; mei, &
gratitudinis pro beneuolentia & hospita-
libus officijs anno ab hinc tertio pri-
mum aduenienti mihi & deinceps sepe
praestitis, mea extaret qualiscunq; pu-
blica testificatio. Vere enim te & ex
animo diligo & veneror, ac deberi tibi
ab ordine nostro obseruantiam profi-
teor, cum propter priuatam tuam erga
nos & studia doctrinae beneuolentiam,
quam declaras summo studio & volun-
tate extruendis, muniendis & ornandis
Musarũ nostrarũ publicis & priua-
tis domicilijs, pro quo officio rursus
illae te gratis carminibus ad omnem po-
steritatem sunt celebraturae, tum verò
ac multo etiam magis propter egregias
naturae tuae dotes, quales sunt ingenij
et cogitationũ celeritas, eruditionis mi-
nime vulgaris copia, iudicij de optimis
rebus grauitas & rectitudo, & in con-
silijs prudentia, deniq; optima in vni-
uersam Rempub. literariam voluntas,
Quae quidem sunt in viro politico non

A 5 modo

P R A E F A T I O.

modo summa ornamenta, sed etiã Reipub. præsidium firmissimum. Ad hæc accedit vera DEI agnitio, & ardēs cœlestis doctrinæ studium, ac assidua DEI inuocatio, de quibus omnibus, cum ad te ipsum directa sit hæc oratio, nō deceat me copiosius verba facere, Sed tamē hæc bona, quemadmodū diuinitus accenduntur in piorum hominum pectoribus, ita præstanti humanitati tuæ, atq; adeo nobis omnib. qui incorruptæ Religionis societate coniuncti sumus, vt perpetua sint, & Spiritus sancti adflatu in nobis confirmentur, nō desinemus DEVM assidue toto pectore precari. Hanc autem qualemcunq; dedicationis opellam abs te in optimam partem acceptam iri, non sinit me dubitare eximia virtus tua atq; humanitas. Bene & feliciter vale. Ex Augusta Gorlicensium Scola, Calend. Septemb. Anno 1567.

*Petrus Vincentius
Vratisl.*

EP[iscopu]s

EPIGRAMMA DE

Esaiæ cap. 51.

Ponam verba mea in ore tuo, & umbræ
bra manus meæ protegam te,
vt plantes cœlos.

O Afflicte Dei per tot iam secula coetus,
Ergo manes istum tutus ad usq; diem?

Textit adhucq; pios tegit: Ecquis uana locutum

Aut mentitum unquam dixerit esse DEVM?

Verba mea, inquit, in ore tuoq; in pectore ponam

Illæ tuos cultus illæ precesq; regant.

Quæ propter quanquam te mundus uexet iniquus

Inq; malam sortem tristis Erynnis agat.

Numine tutus eris nostro, quò semina plantes,

Semina ab æterno uiuificanda λόγω.

Me duce tutus eris, terris ut plurima fundes

Regna ministerio sanctificata tuo.

CHRISTE tui seruans ius inuiolabile pacti

Protege florentis germina sancta Scholæ.

Bartholomeus Andreades.

ALIVD.

Cum furor & feritas toto dominantur in orbe,

Vrbs nec felicem conspicit ulla statum:

Obruta tunc pia mens ueluti torrente malorum,

Quem cumulat stygiæ Rex metuendus aquæ,

Nescia sæpè sui uarias se uertit ad artes,

Per quas tantum animi pellere possit onus.

Sed

Sed cum multa graui quaerit medicamina morbo,
Hoc nullum melius mens reperire potest :
Accensus quam dat sacrato flamine uates
Ille, cui princeps est sine lite locus.
Maxima complectens breuibus solamina uerbis
Vberiore infra commemorata stylo.
Ad quem respiciant duris pia pectora rebus,
Immenso quoties fracta dolore gemunt,
Scilicet inde petant grauibus praesentia curis
Pharmaca, coelesti suppeditata throno.
Nam quaecunq; potest acies rationis in istis
Fingere, repperies omnia inane chaos.
Me uero, ut, quantum, tester sermone ligato.
Diuini uatis uox resoluta iuuet.
Hos modo uersiculos Rectore iubente relinquo
Quos rudibus uertit nostra Thalia sonis.
Sic aeterna DEI proles de se sonat ipsa,
Ad coetum referens talia uerba pium :
En ego Rex Zebaoth sancti dux agminis unius,
Qui solus toto uersor in orbe DEVS.
Pono tuo, allatam doctrinam coelitus, ore,
Quae tibi sit cultus unica norma mei.
Hec licet inuito cacodoemone in orbe sonabis,
Voluet in inocuum qui mala multa caput.
Ipse tamen Clypeus tibi ero, tibi portus & aura
Prospera, te dextrae proteget umbra mea.
Agmina diuino ut cogas coelestia uerbo,
Cultus & aeterno sit sine labe DEI.
Hec erit aeterni felix plantatio coeli,
Facta labore tuo, facta fauore meo.

Vnde

Vnde salus hominum generi reparabitur isti,
Quod me non uana religione colet:
Verba sed ore meo prolata, insertaq; rursus
Ore tuo, accipiet non dubitante fide.

Georgius Schirmerus
Dantiscanus

ALIVD.

Vt teneram sobolem seruans Gallina sub alis
Ne uulpi fiant praeda petita cauet:
Sic manus alta DEI cunctos, qui uerba salutis
Accipiunt, contra Demonis arma tegit.
Hinc mihi coelesti palmes plantatur in horto
Quo nihil in toto pulchrius orbe uiret.
Suavis & in terris sanctorum turba uirorum
Colligitur, dextrae quam tegit umbra mea.
Unica Christe DEI, proles dilecta Parenti
Corpora de tumulo qui rediuiua facis.
Da fieri nos membra tui sanctissima catus
Pura salutiferi quem regit aura soni.
Aethereis multus sic crescet palmes in hortis
Qui tibi perpetuo germina flore feret.

Sebastianus Hoffmann
Gorlicensis,

ALIVD.

Ipse Deus Zebaoth per Principis ora Prophetæ
Ad populum fatur talia uerba suum:
Mens tua ne uarijs errorum fluctibus erret,
Neue DEVM ficta religione colat:

En

En ego in ore tuo caelestia dogmata ponam,
Arcana Triados dogmata ducta sinu
Quæ si corde pio benè custodita tenebis
Tunc tibi perpetuæ causa salutis erunt
Nam uelut aestiui solis flagrante calore
Frondosæ fessos arboris umbra tegit
Proteget umbra meæ sic te dulcissima dextræ
O mea felices quos habet umbra uiros
Millia non ledent huius contagia uitam,
Insidiæq; sua quas parat arte Sathan.
Propterea ducam coetum mea uerba professum
Illius & cuncto tempore doctor ero,
Ut mihi caelesti palmes plantetur in horto,
Floreat & uero uinea grata Deo.
Deniq; seruetur populus qui calica regna
Semper habens uera me pietate colat.
Terogo Christe Deus patris optime maxime nate
Vox tua nos doceat dulcis & umbra tegat
Ne noceant hostes nobis mundiq; propago,
Verum horti simus plantula sancta tui.

Nicolaus Rehagen
Borussus.

ALIVD.

Cœlitum rector Zebaoth saluti
Consulens nostræ, pauidasq; mentes
Erigens uerbo, sonat hæc ab alto

Culmine cali:

Sermo

Sermo quem spargo tua per labella,
Cœlitus venit, nec, ut impiorum
Plebs putat falsè, sine re vocanda est

Fabula vulgi.

Fictio non est hominum, nec illum
Impio mendax Pharisæus ore
Protulit, falsum soboles secuta

Rasa Cainum.

Intimo sed corde meo profectus
Defluit: tanquam salientis unda
Fontis, herbosos gelido liquore

Que rigat agros.

Ipsè defensor, pater & piorum
Deprimo rictum Sathana voracis:
Qui meis parent monitis potenti

Protego dextra,

Mater ut cristata suos tuetur
Quos amat pullos: ita qui uerentur
Me, sub alarum pietate motus

Tegmine condo.

Ut mihi præstent, faciantq; grata,
Colligant cœtumq; pium, canentem
Omne per tempus pia facta regis

Cuncta tenentis.

Et pius sicut nirides oliua
Crescat, & laurus veluti virescat,
In meo & regno videat beate

Gaudia vite.

Ioannes Reuschius.

Alind

ALIVD.

Sic fatur Dominus totum qui condidit orbem
Quicquid et hic extra quicquid et intus habet.
Non est ex hominis fragilis ratione profectum
Dogma, quod in terris grex sonat ore pius.
Allatum aethereas sed filius ipse per auras
Aeterni patris sparsit ab arce λόγος.
Hunc ego defendam catum semperq; tuebor
Oppressum quamvis impia turba velit.
Ut mihi caelestes Verbo ser at ordine vites
Quas foueat dextra robur & umbra mea.
Non alia ratione DEVS sibi colligit agmen
Qui vitæ æternæ gaudia vera dabit.

Marcus Antonius Carchez
sius Glogouiensis.

ALIVD.

Nil Deus ingrato potuit dare latius orbi,
Quam quæ vaticinus, verba Propheta sonat.
Ore tuo mortalis homo mea dogmata ponam,
Quæ cunctis veræ causæ salutis erunt.
Ut tibi nec Demon noceat, nec plurima clades,
Sed dulcis dextræ te tegat umbra mea.
Hinc mihi caelestis succrescet surculus horti,
Et gens quæ vera me pietate colat.

Matthæus Schnitter.

ORATIO
DE ECCLESIA
ET EIVS PER
PETVA PROTE
CTIONE.



LIERI sanè aliter non potest in
conuulsionibus Imperiorum, quæ
sunt ante oculos, & legum ac di-
scipline dissolutione peruagante fe-
re omnes communis vite ordines
ac Reip. parteis, deniq; in metu et formidine Tur-
cicorū armorū, quibus conatu & viribus quantis
pro re & tempore maximis fieri potest, occurr-
tur, quin animus optimi cuiusq; & doctrina pie-
tatis, literarum, reipublicæ ac posteritatis aman-
tissimi grauius commoueatur cura quadam &
solicitudine de Ecclesia, quam ut aliàs semper
quidem, ita talibus precipue temporibus aut fa-
stidiri inclementius, aut exerceri durius solere,
aut etiam alio quodam modo deteriore conditi-
one esse experimur. Conticescunt enim & silent
non solūm LEGES, ut ille inquit, laxatis inter
arma discipline studijs, sed etiam humanissima
literarum studia, & pellitur è medio non modo
SAPIENTIA ut Ennius dixit, sed etiam
B erudito

erudite religioſeque pietatis cultura, quibus ſubla-
tis, quid tandem eſt, quod homini liberalis ingenij
& bene inſtituto, aut in præſentia durabilem in-
cunditatem, aut deinceps de Eccleſiæ tranquillitate,
aut de præclara poſteritate ſpem optabilem
adferre poſſit. Ego vero etſi mediocri animi ro-
bore DEſ beneficio confirmatus non ad quemuis
aure inclementioris flatum facile impellar atque
commouear, me unum tamen in communi omni-
um metu & trepidatione, ſi nihil formidare, &
expertem curæ & ſollicitudinis eſſe affirmem,
amens ſim. Nec de externis hoſtibus Eccleſiæ
angor, quibus irasce DEVM ſcimus & leta-
mur, ſed alia interiora Eccleſiæ mala, quæ extre-
mam cladem atque interitum cœtibus noſtris niſi
emendentur, allatura ſunt, metuo, quorū hæc ſum-
ma eſt.

Doleo in tanta luce doctrine de DEO tan-
ta eſſe doctrine odia, contemptus, ſaſtidia in potif-
ſima orbis Chriſtiani & pulcerrima parte: do-
leo in nobiſiſ, qui profeſſionis Euangelij facem
preferimus omnibus gentibus, tantam eſſe imbe-
cillitatem, ut ab ea parte, qua Euangelium vitæ
potiſſimum ſanctimonia & integritate morum
fuerat exprimendum, laboremus: doleo & hoc
tantam eſſe iuuentutis in occaſionibus diſcendi
optatiſſimis ignauiam, in obediendo contuma-
ciam, in peccando & aduerſando honeſtæ diſci-
plinæ libidinem, ut iſta qui paulò aſpiciat propi-
us, niſi

us, nisi saxum sit aut truncus, eum expauescere
necesse sit saltem ad cogitationem paulo post futu-
ra posteritatis.

Ad haec mala cum denuo iam accedit pa-
nicus terror latrociniy Turcici minitantis interi-
tum nomini Christiano, quod esse flagellum nu-
minis diuini hominum ingratitude & scele-
ra punituri manifestum est, cum de aliorum ani-
mis coniecturam facio, tum de meo non vereor
confiteri, tacita me cogitatione cruciari, quae &
ubi paulo post futura sit Ecclesiae DEI & doctri-
nae diuinitus traditae sedes atq; domicilium? quae
literarum studia? qui mores? quae vita? vel quae
caligo potius & tenebrae? quae barbaries & confu-
sio rerum? Toto pectore cohorresco haec cogitans &
simul intuens amplissima illa orientis regna,
urbes, ecclesias, scholas, quae nunc sunt sordida &
impura Mahometi stabula euomentia ἀμαξιας
ελασφημιών contra sanctissimam Ecclesiam de fi-
lio DEI Iesu Christo redemptore generis huma-
ni religionem atq; doctrinam.

Sed horum quandoquidem animus memi-
nisse horret luctuq; refugit, ut apud optimū Poë-
tam de patria interitu inquit pius Aeneas, col-
ligo ipse me ac sustento & aduersus communem
mihi cum multis & pijs viris de irritis scholasti-
cis laboribus sollicitudinem consolor, & erigo
animum propositis oraculis diuinis, non illi modo
quae denunciant & minantur poenas, vel Tyran-

B y nis ha-

nis hostibus, vel ciuibus etiam ingratis Ecclesie,
sed multo magis quibus & Ecclesie calamitates
predictae sunt, & simul promissa diuinitus conser-
uatio doctrinae, defensio, & propagatio.

Inter haec emicat, ut stella illustris, diuinae
consolationis dulcissimum quoddam Esaiæ Pro-
phetae dictum, de quo, cum saepe multumq; hoc
tempore cogitarem, aliquid confirmandi mei
aliorumq; causa in hoc solenni confesso nostro, re-
quirente vocem atq; orationem meam potius
quam vlla de re alia dicendum putauit.

Laudatur Alexander quod Homeri fuerit
adeo lector assidius, ut eum dormiens etiam sub
puluino habuisse memoriae proditum sit, Et Sci-
pionem Africanum ita delectatum esse Xenophon-
tea lectione accepimus, ut eum librum nunquam
de manibus posuerit. Ac horum uterq; scripto-
ris sui, quem probabat, historias, Apophtegma-
ta, sententias veluti vitae regulas ad actiones, ne-
gotia, mores in communi vita crebris sermonibus
accommodabat. Quanto autem magis decet,
nobis in Ecclesia familiarissime nota esse oracula
prophetica in hoc scripta potissimum, quemad-
modum D. Paulus monet, ut per consolationem
scripturarum spe habeamus. Mihi quidem cogi-
tanti non modo de communibus totius humani
generis erumnis, & vitae fugacitate in creatura
ut adparet, & est sane omnium prestantissima,
sed etiam de malis quibus in vltima senecta mun-
di pre-

di premitur Ecclesia subinde grauioribus, neq³
presidia succurrunt firmiora, neq³ consolationes
in mentem veniunt efficaciores, quam quas litera
diuina nobis suppeditant, propositis de tota & ea
quidem miranda Ecclesia in hac vita gubernati-
one oraculis prophetis, quorum potissimas &
plurimas promissiones Ecclesia factas cum scia-
mus certo & salutari euentu comprobatas esse,
dubitare nec possumus nec debemus de euentibus
ultimarum liberationum Ecclesia, cum rursus
se ostendet orbi terrarum Filius DEI, & excita-
tis mortuis diuina bona, iusticiam & vitã eter-
nam Ecclesia communicabit.

Etsi autem antecellit omnibus prophetis Esai-
as & numero & amplitudine vaticiniorum de
Messia persona, beneficijs & ministerio, ita qui-
dẽ ut nulla eius pagina sit vacua aliqua de Chri-
sto noua contione, adeo delectatus est hic Va-
tcs ex stirpe regia ortus crebra mentione Messia,
sui secundum humanam naturam cognati, atq³ ut
ipse nominat, patruelis, constat tamẽ de omniũ pi-
orũ & doctorũ in Ecclesia interpretũ sententia atq³
iudicio, eum postremis sedecim capitibus, ut ue-
rẽ prophetis, Ecclesia ultime atatis mundi præ-
cipuẽ concionari, & doctrinam de Christo & gra-
tia & perpetua Ecclesia conseruatione sonantem
in Ecclesijs, & scolis nostris, splendidissimẽ illu-
strare. Dicam igitur pro tempore breuiter de
amplissimo dicto quod extat cap. 51. ubi inquit

B ij vox

vox diuina: Ego D O M I N U S Zebaoth,
Ponam verba mea in ore tuo, & umbra
manus meæ protegam te, vt plantes
cœlos.

*Etsi autem fatendum est nullius mentis huma-
næ eam esse intelligentiam, vt sapientiæ diuina, quæ
Propheticis & Apostolicis sepe breuissimis senten-
tiolis tanquam Aphorismis continetur, amplitu-
dinem vel cogitando assequi, vel dicendo satis ex-
plicare possit, aspici tamen aliquo modo doctrinã,
& piè cogitari ab omnibus, qui D E V M colunt
& recte inuocant, necesse est. Ideo enim scribi
has sententias D E V S voluit, & volumina in Ec-
clesia omnium temporũ conseruari, vt essent nor-
ma doctrinae de D E O, & æterna testimonia de
D E I erga genus humanum voluntate, quæ etsi
lucet alioqui in amplissimo Theatro mirandi om-
nium creaturarum opificij, dicentis vniuersum testi-
moniũ & de ipso Archetypo & eius Ὁλκωνθροπία ,
quod & ipsum tale est beneficium, vt superet om-
nem omnium hominũ captum atq; eloquentiam:
posteaquam tamen sua libidine euersi, & Diaboli
astutia circumuenti primi hominum parentes à
vero D E O cum sobole sua auulsi sunt, si modo pi
veriq; aestimatores beneficiorum diuinorum esse
volumus, velle autem debemus, tum verò hoc opus
salutari erga genus humanum fructu & ampli-
tudine agnoscemus omnium operum diuinorum
maximum*

maximum esse, quod videlicet egressus ex arcano
consilio diuinitatis certo verbo denuo se patefecit
DEVS, & Ministerium certæ & suis terminis
circumscriptæ doctrinæ in genere humano insti-
tuit, & quod eam ipsam doctrinam cum malitia,
improbitate & contumacia sua maxima pars
degeneris & impia posteritatis nimium sibi in-
dulgens aspernaretur, scribi Patrum & Prophe-
tarum monumentis, & in Ecclesia piorum nepo-
tum tanquam unicam normam opinionum de
essentia & voluntate sua propagari voluit, deniq;
quod horum voluminum ac concionum diuina-
rum per tot annorum millia conseruatione, di-
scernit Ecclesiam ab omni impiarum gentium,
quæ sua vanitate à vero DEO & patrum doctri-
na cultuq; diuino defecerunt, colluie & impie-
tate.

Hoc inenarrabile beneficium reuera ma-
ius ipsa creatione rerum piè cogitemus, & vera
gratitudine usurpemus discendo & meditando
doctrinam traditam cælestibus sententijs, & fi-
dem, inuocationem, confessionem & alias virtutes
DEO gratas & nobis salutare exuscitemus, eti-
amsi rerum amplitudini, quæ in his oraculis di-
uine eloquentiæ admiranda breuitate conclusæ
sunt, nec mentium nostrarum angustia, nec balbu-
ties nostrarum linguarum ad enunciandum pa-
res esse possint. Sed accedo ad Esaiæ dictum quod
& necessariam doctrinam & amplissimam

B iiij consolatio-

consolationem proponit, quam in scholis saepe cogitari utilissimum est. Prior pars est doctrina de vera DEI Ecclesia, quae & ubi sit, & quomodo in tanta varietate opinionum de DEO, quas humana audacia pro libidine fingit, agnoscenda, & ab omnium aliarum communitatum coetu atq; colluue discernenda sit. Omnibus enim temporibus inde usq; ab initio mundi praecipuae & populosissimae gentes, Diabolorum horribili furore & odio adversus DEVM immani incitatae, ad Idolatrieos cultus, (multiplices quidem illos & mira specie atq; arte fucatos, ac per se diversitate quadam infinita discrepantes, sed in hoc uno tamen concordantes, quod a doctrina caelesti primis patribus tradita & a prophetis saepe instaurata, illi ipsi cultus alienissimi essent) aliae alijs errorum & opinionum diuerticulis, a vera doctrina Patrum una omnes quam longissime recesserunt. Harum omnium nulla unquam fuit tam futilitate levis, superstitione fatua, immanitate barbara, quae non implacabili bello, quod ἀσποῦδ' ὄρ est Graecis, vel indicto vel gesto cum vera Ecclesia, huius tamen locum, titulum, prerogativae opinionem apud DEVM & homines sibi superbissime vendicauerit.

Huius rei plurima & illustria exempla de antiquissimis patrum & prophetarum historijs, & Graecarum ac Romanarum gentium monumentis, quae extant producere longum foret. Sed praesentia ante oculos atq; aures sunt omnia nostras

ut

ut est in versu Virgiliano, generibus utcumq; di-
stincta, Ethnica dico, Iudaica, Mahometica,
Pharisaica, Enthusiastica & Heretica, quorum
vniuersorum generum opiniones, dogmata, cultus,
pompe, superstitiones, errores, semper aliqua specie
fucog; nitentes adeo multiplices sunt, ut de illis va-
rietate pariter & multitudine infinitis cum opti-
mo Poeta dicere possis,

Quod neq; quam multae species, nec nomina quae sint
Sit numerus, neq; enim numero comprehendere refert
Quem qui scire uelit, Lybici uelit aequoris idem
Discere quam multae Zephyro turbentur arenae,
Aut ubi nauigijs uiolentior incidit Eurus
Nosse quod Ionij ueniant ad littora fluctus.

Hic igitur cum necesse sit sollicitas mentes
interdum cruciatu dubitationis ita angere, ut cum
matrona comica nescire se fateantur, quid iam
credant tandem, aut cui credant, cum in acerbis-
simis dissensionibus tot gentium ac sectarum nulla
non DEI cognitionem & cultum peculiarem sibi
vendicet, profiteatur, & ferro ac flammis saepe de-
fendat, dissentientes interim aut superbe irridens,
aut immanissimis bellis, aut crudelissimis suppli-
cijs prosequens, reuocat nos vox diuina, ut saepe ali-
as, ita in hoc etiam Esaiæ dicto tanquam tuba coe-
lesti ad certam ciuitatem seu castra, proposito in-
fallibili signo inquit: **Pono verba mea in
ore tuo.** Alloquitur enim Ecclesiam omni-
um temporum, & eam tanquam digito demon-
strans

strans adfirmat esse cœterum qui sonat docendo & discendo doctrinam à se solo vero DEO Domino exercituum cœli & terræ, angelorum, hominum & creaturarum omnium conditore & conseruatore, traditam initio primis patribus, ac postea prophetarum voce & Ministerio omnibus temporibus repetitam, & mirandis testimonijs in certo populo confirmatam, propagatam, & mirabiliter singulis mundi ætatibus inter ruinas & conuulsiones Imperiorum in electo suo cœtu conseruatam, quæ doctrina est & incorrupta vox Legis diuinæ humanis mentibus uniuersaliter impressa, & promulgatione vocis diuinæ denuo sancitæ & late inter stupenda tonitrua & fulgura in presentia infinitæ multitudinis populi DEI congregati ad radices montis Sinai: & simul ac quidem principaliter est incorrupta vox & promissio Euangelij de generis humani per peccatum & mortem à DEO auulsi reparatione per Filium mirando & inenarrabili consilio DEI patefacta diuinitus, quæ promissio, cum ignota esset hominibus per Filium λόγος ἢ εἰκόνα ὑφ' ἡμῶν, οὐσιώδης ἢ αἰδιότης ὑφ' ἡμῶν ἢ αἰδ' ἰσ πατρὸς primis parentibus paradiso excussis immensa, DEI bonitate reuelata, patribus certa successione tradita, à prophetis diuinitus excitatis & missis repetita, & à Filio adsumptione humane nature ac ire diuinæ & suppliciorum in sese derinatione ἢ ἀπολυτῶσε obfignata ac salutari euentu deniq; prestita

stita, cōsummata, atq; perfecta est. Hęc igitur do-
ctrinā ignotā hominibus adfirmat vox diuina à
seſe, id eſt, ipſo Deo poſitā eſſe in os Eccleſiæ, id ē, ex
ſinu æterni patris allatam & patefactam eſſe Ec-
cleſiæ, ac diſertè facit mentionem Oris humani,
quod eſt docendi & diſcendi organum, ut cum
hec ipſa Euangely promiſſio non naſcatur cum
homine, ut aut artium ſemina aut legis noticia,
ſed immediatè à DEO reuelata ſit, ſciamus eam
vocem atq; doctrinam, quæ nos de DEO & eius
voluntate erudit, cœtibus humanis ſemel patefa-
ctam non aliqua alia noua reuelatione, ut En-
thuſiaſtæ ſomniant, ſed ministerio doctrine in Ec-
cleſiæ & ſcholis ſonante innotescere, & in hoc Mi-
nisterio ipſum Deum Zebaoth ut inquit Prophe-
ta, ponere verba id eſt, præſentē & efficacē eſſe, re-
cipere homines in gratiam propter Filium μεσι-
την ἢ ἰκέτην, & dare Spiritum ſanctum reno-
uantem corda accenſa fide, & excitatis motibus
nouis & ſibi conformibus, quæ tota actio diuina in
diſcentibus doctrinam Euangely eſt ſeu regene-
ratio ſeu inſtauratio hominum ad ſocietatem iu-
ſtitia, vitæ, letitiæ, & beatitudinis cum Deo eter-
ne. Hęc eſt ſumma dicti prophetici de quo
eſi agnoſco ipſe balbuciem meam, & ſentio mere-
rum, de quibus in diuini Aphoriſmi enarrati one
dicendum erat, amplitudine opprimi, & hoc tem-
pus longiorem orationem non admittit, dicam
tamen de rebus maximis priori parte prophe-
tica

rice sententia comprehensis ut potero breuissimè.
Traditur clarum insigne & perspicuum te-
stimonium de Ecclesia, quæ sit & ubi sit, cætus vi-
delicet retinens incorruptam doctrinam legis &
Euangelij à DEO patefacti.

Huius doctrinam testatur diuinam esse, cum
adfirmat Dominus exercituum eam à sese ortam,
reuelatam & Ori Ecclesie insertam esse. Ac Le-
gis DEI doctrinam, cum sit natura aliquo modo
nota, nec sapientiores Ethnici negant, nec ulli sani
homines inficiari possunt, radium esse lucis & sa-
pientie diuine in hanc præstantem hominum na-
turam sparsæ atq; impressæ. Itaq; nulla est tam
barbara gens, quæ tam obtusa gestet pectora, ut
rursum Poëta verbis utar,

Nec tam auersus equos populo sol iungit ab ullo
in quo scintilla aliqua Legis naturæ (sic enim ap-
pellarunt Philosophi) seu ut Cicero loquitur di-
scriminis honesti & turpis non sit reliqua.

Euangelium autem reuelatum à se ipse Fili-
us Dei non solū miraculis inimitabilibus ulli cre-
aturæ in cælo & in terra, Sed quod omniū mira-
culorū maximum est, & ad quod obstupescunt cæ-
tus Angelici & phalanges infernae, ad sumpta hu-
manitate, soluto λύτρωσιν pro mūdi peccatis, & misso
ac dato Arrhabone Spiritus, obsignauit, eā scilicet
solā esse sapientiā arcani consilij, qua remediū pe-
rituro aliqui generi humano inueniri & præberi
potuit, ut iā nulla relinquatur dubitatio, eū so-
lūm

lum cœtum esse Ecclesiam seu populum DEO
placentem, qui hæc duo genera doctrine sola, vera
& diuina retineat & profiteatur integra & in-
corrupta. Vnde & hoc fit manifestum nec Ethnicos
cœtus cumulâtes multitudinem Deorum, & Ido-
la, nec Turcicâ colluuië, quæ retinet quidam parti-
culam aliquam naturalium notitiarû de quibu-
sdâ externis & ciuilibus officijs, sed eam ipsam
mutilam & fœdatam cum sceleribus alijs multis,
tum maxime contemptu Filij DEI, quem impio
Mahometo inferiorem facit, nec blasphemos Iu-
deos contumeliosè & pertinaciter maledicentes
Christo, nec deniq; Idolatrica agmina, quæ mor-
tuos homines & panem cistella inclusum pro Chris-
to horribili idolomania inuocant, & Euangelium
contumelia multipliciter adficiunt, quicquid
tandem de fictitiâ Petri nauicula, cathedra &
successione, ut vetula vulpes, ad orbem terrarum
ganniant, neq; hæc igitur neq; illos Ecclesiam
DEI, sed potius hostes DEI, & Diabolorum
odio, immanitate, virulentia, & rabie furentium
aduersus DEVM & Ecclesiam folles, sentinam,
atq; cloacas esse, demergendas & precipitandas à
Filio DEI redituro ad iudicium orbis terre in
abyssum atq; barathrum ire, fremitus, & pœna-
rum atq; cruciatuum æternorum.

Sic initio discernitur vera Ecclesia ab externis
hostibus nationum omnium sub cœlo: quibus qui-
dem minitatur ipse Dominus atrocissime *Psa. 16.*

Eorum

Eorum, inquit, qui ad alium accelerauerunt, non libabo libamina de sanguine, nec adsumam nomen eorum per labia mea, disertissima interminatione & damnans cultus illorum & omnem intercessionis suae apud eternum Patrem spem illis praecidens.

Sed ne hoc quidem dissimulandum est perspicue et clare hac priore diuini aphorismi parte refutari atque condemnari etiam Enthusiastas tum veteres, ut Stoicos et Manichaeos, tum recentes, ut sunt Anabaptistae, Antinomi, Schuuenckfeldiani & alij, qui aut relicta aut spreta doctrina quae sonat in Ministerio verbi, iubent expectare peculiare raptus & illuminationes. Clare enim inquit: Pono vel posui verba mea in ore tuo. Sicut & alibi inquit Esaias expressis verbis nominans doctrinam Ecclesiae Legem & Euangelium, Esaiæ 8. Ad Legem & ad Testimonium, & addit comminationem atrocissimam, Non erit ei matutina lux, qui non dixerit secundum verbum hoc, id est, non illucescet ei Christus sol iusticiae, nec erit vel Christi vel Ecclesiae membrum, non retinens doctrinam Legis & Euangelij incorruptam, quae primis patribus, prophetis, Christo & Apostolis tradita auctore DEO, ad finem mundi docenda, propaganda & facta recta retinenda est.

Denique significat propheta hunc ipsum discipulum

sum ordinem verè custodem esse sapientia divini-
tus tradita & revelata, & esse os, id est, tubā sonan-
tem DEI gloriam in Evangelio patefactā non so-
lūm ad omnem hominum posteritatem, sed etiam
duraturam in tota eternitate. Quid autem de
hoc paupere, misero & squalido docentium & di-
scentium ordine maius aut splendidius dici pote-
rat? quā nos, qui in templis & Scholis docemus
ac discimus ora, id est, vasa & organa esse, per quæ
DEUS sese & suam sapientiam ac voluntatem
ostendat & patefaciat humano generi?

Hac igitur nos consolatione, ut aheneo muro
nixi, incurrente in oculos nostros tristissimo
conspectu calamitatum & publicarum & priva-
tarum aduersus pregnantes successus Tyranni-
dis Turcicae & crudelitatem Idolatrice colluuii
& rabiem Diabolorum, qui omnes tanquam
coniurati scandalis infinitis deformant eum cœ-
tum qui Christi nomen, & doctrinā Euāgelij posi-
tā à DEO in os Ecclesie profitetur, capita ut iu-
bet Filius DEI erigamus, hoc est animos & cor-
da cōfirmemus, ita ut cōstanter statuamus nequa-
quam placere DEO illa magna agmina, quæ fu-
renter oderunt & immani audacia condemnant
doctrinam prophetica & apostolicam. Sed verè
hanc exiguam, squalentē & multipliciter defor-
matam & oppressam partem generis humani, quæ
studia vera doctrinae de DEO retinet in maximis
erumnis, miseris & calamitatibus, solam esse ve-
ran

ram Ecclesiam & populum DEI, et ut Psal 78. in-
quit tenerrimas oves diuinae pascuae, quas DEVS
certè respicit, curat, alit, fouet, seruat & protegit
potenti manu aduersus furiosos conatus seu Tyrannorum
seu Diabolorum. Itaq; & dubitationibus
eiectis & momentaneis terroribus excussis cum
Ecclesia omnium temporum constanter clame-
mus. Psal. 46. DEVS spes nostra, fortitudo &
auxilium in tribulationibus grauissimis. Non
timebimus etiamsi turbabitur terra, & ruent
montes, etiamsi fremant & conturbentur maria ac
montes concutiantur. Quo quidem in loco addi-
tur dulcissima & vera consolatio.

Fluminis riuuli lætificant ciuitate
tē DEI, id est, perpetuo mansurū est ministeriū
Euangelij in Ecclesia, quia DEVS habitat in ea
tanquam in templo suo, & constituit mari
terminos quos transire non poterit,
id est, quantumuis fremant imperia inimica Ec-
clesiae, tamen nulla est tanta vel mundi totius po-
tentia, quæ hanc delere possit, mansuram pro-
tegente ipsam DEO, si vel fractus illabatur or-
bis.

Sed hæc iam est παρασκήνιον ad alteram sen-
tentiae propheticæ partem, de qua intelligo mihi
breuius dicendum esse in præsentia, ut & temporis
& patientiæ vestræ in audienda de tantis rebus
nostra, ut dixi, balbutie, ratio habita esse videa-
tur.

Sonat

Sonat quidem D E I beneficio etiam nunc in
Ecclesijs & Scolis, pura, integra & incorrupta
vox doctrinae posita a D E O in os Ecclesiae, id est,
diuinitus tradita et propagata Ministerio Eccle-
siae retinentis hanc vocem a primo mundo ad hanc
eius usq; senectam, Sed ut de suo in hac vita cur-
riculo Filius D E I inquit, Vulpes foveas habere,
& volucres caeli nidos, Filium autem hominis nō
habere ubi caput suum reclinet, & idem praedixit
Ecclesiae calamitates ultimis temporibus gravio-
res fore, ita etsi nunquam non Ecclesia duriter
quassata sit inter imperiorum tumultus, nunc ta-
men in extremas videtur angustias redacta esse,
vix ut sedes eius aliqua futura appareat. Nam
ut de communibus fastidijs, odio, contemptu, exi-
lijs, paupertate, obtreccionibus, deniq; privatis
ac publicis aduersationibus & arumnis, quas ex-
periuntur omnes, qui doctrinam de D E O & li-
teras profitentur in Scolis atq; Ecclesijs nihil di-
cam, quis demum est tanto animi robore predi-
tus, ut intuens seuitiam & rabiem hostiū Ecclesiae
D E I armatam potentia & autoritate guberna-
torum, & in omnibus ordinibus politicis dissoluta
regimina, & in ordine doctorum, qui Euangeli-
cos sese perhiberi volunt, plus quam Cainica odia,
dissidia, certamina, Iuuentutis autem ignava
ocia, doctrinae contemptū, et petulanter peccandi
libidinem atq; contumaciam, deniq; omnibus his
ordinibus quodam veterno malitiae oppressis in-
C gruentia

gruentia, & iam iam undiq³ pulsantia fores & li-
mina communis patriæ arma Turcica, Mosco-
uitica, Baalitica, & inter ipsos Principes & odia
& bella ciuilia, deniq³ spoliatam & exhaustam
Ducibus, uiris, armis, pecunijs uniuersam Ger-
maniam, & varijs artibus ad inopiam redactas
omnes eius non urbes modo, sed propemodum an-
gulos? Quis igitur hominũ hæc cernens ante ocu-
los, meridiana luce manifestiora mala tam fortis
est, ut non angatur sollicitudine atq³ timore, sit ne
paulo post sedes aliqua certa Ecclesiæ aut Scola-
rum pietatis & doctrina futura? Alios nescio,
me quidem qualemcunq³ æstimet aliquis, (ut uisi-
tata sunt in hac temporum leuitate aliorum de
alijs iniqua iudicia,) sed si quis suspicatur non
commoueri quotidie, uehementer errat. Fateor
autem sæpe ita duriter me hac sollicitudine angere
& exerceri, ut conditionis me, & laborum quos
mei ordinis homines non planè nullos sustinere, in-
telligunt saltem boni & sapientes, interdum ac
sæpe quidem, dicam enim ingenuè, tædeat, atque
pœniteat. Sæpe etiam grauiorum malorum &
periculorum, quæ deditis uera doctrina studijs,
inimica ueritati barbaries & inscitia minitari
solet, consideratio percellit animum meum. Sed
ut dixi, erigo me consolationibus diuinitus tradi-
tis, nec inuenio in tota rerum humanarum uni-
uersitate aut remedium efficacius, aut tutius cer-
tiusq³ presidium.

Quid

Quid enim dulcius lectu aut cogitatu solli-
cite menti contingere potest illa dulcissima con-
solatione, qua inquit *DEVS Zebaoth* in altera
Aphorismi prophetici parte, *Vmbra man-*
us meæ protegā te, vt plantes cœlos.

O preclaram & verè magnificam promiss-
ionem & iudicium non hominis, sed *DEI* vi-
ni de Ecclesie in hac vita miseris, vt quidem
in oculos incurrunt, & ærumnosis laboribus.

Quid honorificentius? quid sanctius? quid
melius? aut maius? de hoc squalido cœtu Ecclesie
& Scolarum dici potuit? quam laboribus nostris
paradisum seu hortum cœlestem plantari, id est,
templa preparari, quibus *DEVS* in omni æterni-
tate sese oblectet, vt in amœnissimo & fragran-
tissimis flosculis consito horto: Et quidem quod
omnium maximum est, promittitur nequa-
quam ficulneum, vt in prouerbio dicitur, auxi-
liū, sed tria summa bona, quæ mens optare potest,
Primo auxilium diuinum, dein successus in
laboribus postremò in periculis protectio &
defensio diuinæ manus atq; potentia, quæ est ipse
DEVS. Significat diuina Maiestas se non
modo doctrine, quam docemus & tradimus au-
ditoribus, discipulis, & posteritati, autorem esse,
qui eam in corda & ora nostra ponat atq; collo-
cet, verum etiam qui, dum operas facimus, diui-
nam manum admoliri velit, & suis digitis

C ij

formare

formare studia nostra, & Spiritu sancto regere
corda, linguas & aures docentium ac discen-
tium, & opaca ac dulcissima umbra estuan-
tes laboribus, & curis atq; erumnis confectos fo-
uere, & refrigerio demulcere ac recreare, deniq;
qui aduersus odia, calumnias, paupertatem &
pericula omnia seu publica seu priuata nos fa-
melicos & miseros scholasticos tueri & protegere
velit, Postremo ipsum DEVM esse, qui ad
optatos euentus & salutare fructus prouehat la-
bores nostros, non modo ne sint inanes & irriti,
ut Paulus inquit, multo minus vero ut à Tyran-
nis hostibus ad nihilum redigantur, Sed etiam
ut appareat tandem operas nostras fuisse utilissi-
mam & sanctissimam edificationem & plan-
tationem horti caelestis & paradisi diuini, in quo
adducta olim ad DEVM Ecclesia irradiata
fulgore Solis Iustitiae Christi, & inumbratione
Spiritus Sancti rigata sit DEO odor suau-
tatis perpetuus atq; eternus. Hec vera, firma, et
summa consolatio est, quam pie mentes cum co-
gitant, ita sint adfecta, ut neq; Turcicorum ar-
morum fremitu, quae certe, ut res cadant, quin-
tam Monarchiam nunquam constituent, neq;
Diabolorum furoribus, neq; hominum improbi-
tatibus, neq; erumnarum illarum respectu à ve-
re Ecclesiae & rectorum studiorum societate
sefe auelli patiantur.

Video quam copiose possit, atq; splendide
dici

dici de dulcissima sententia diuini oraculi, quod
proposui, & eam me orationem ingressum esse, cuius
principiū utcumq; inchoatū est, exitum vero si
mihi indulgerem, etiā in hac ariditate mea inue-
nire non possem. Sed receptui canam, Cum enim
diuinarum sententiarum sapientie, & doctrine
amplitudo nulla eloquentia humana exhauriri
possit, utcumque tamen in presentia adumbrare
etiam ieiuna oratione volui, quæ mihi per hosce
dies de communibus & priuatis ærumnis sollicitè
cogitanti, & oraculum propheticum intuenti, in
mentem venerunt.

Vos vero & collegas & amicos & discipulos
hortor, ut huius dulcissime consolationis & di-
uine voluntatis, quam nobis ostendunt prophe-
tica & apostolica scripta cogitatione, & am-
plitudinem ordinis in quo DEVS vos in hac vi-
ta collocavit, estimetis, & ad præstandos alacri-
ter labores sue cuiusq; functionis animos excite-
tis, & vosmetipsos diuinis promissionibus de
presentia DEI intra hos cætus atq; parietes
operarum nostrarum, & efficacia in successibus
& amplissima remuneratione eternorum premi-
orum aduersus deformem aspectum presentium
miseriarum & impendentium periculorum mu-
niatis.

Sint mentes certa de doctrina, quam adfir-
mat vox diuina suam esse, & ad hominum salu-
tē à Filio Dei patefactam esse, & certo volumine

diuinitus tradito Ecclesie, comprehensam, & à primis parentibus per manus traditam esse posteris, ut sit norma vera agnitionis & cultuum DEO placentium. Quæ cum minus natura nota sit, quàm aut artium aut virtutum seu Legis dogmata, quorum naturalia semina nascentes in hanc vitam adferimus, maiore conatu & studio eam discendam esse statuamus, cum quidem inter hos ipsos conatus in difficultatibus auxilium, in imbecillitate robur, in periculis defensio, in progressu successus salutaris, in fine atq; exitu æterna cum DEO societas, vita, leticia, & beatitudo nullis seculis definita, diuinitus promittatur.

DEVM æternum patrem Domini nostri Iesu Christi cum Filio & Spiritu Sancto, & eum quidem unum, solum, verum, omnipotentem, benignissimum, Opt. Max. DEVM toto pectore oro, ut in his temporum difficultatibus Imperatoriam Maiestatem Dominum nostrum clementissimum, & uniuersam Rempub. & in hac vrbe inclytum Senatū, Ecclesiolam, & Scolam, deniq; omnes docentes in ea & discentes clementer seruet ac protegat, ac nos omnes faciat organa salutaria Ecclesie æternæ, & nostris animabus.

DIXI.

Gorlicñ

EXCVDEBAT AM
BROSIVS FRITSCH.

Anno

M. D. LXVII.



Gollicij

EXCVDEBAT AM
BROSIVS FRITSCHE

Anno

M. D. LXXVII



45



Ca 692

ULB Halle
004 953 673

3



TAOC



ORATIO
DE PROTE
CTIONE ECCLE
SIAE, HABITA IN
SOLENNI CON-
SESSV SCOLAE
Gorlicensis.

A
PETRO VINCENTIO
Uratisl. Rectore.



GORLICII
Anno
M. D. LXVII.

